



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fuldensivm Antiquitatvm Libri III.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Cap. X. Congregationes & monasteria Fuldensi ecclesiæ adunata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

Claudat iam sacrum hunc censum AMICTVS excellens, in quo S. Martyris corpus inuolutum iacuit; qui cum hominum fugeret memoriam, accidit anno salutis MDCV. ipso die S. Lucia, id est, XI. Decembris, vt R<sup>mi</sup> Balthasari nutu, disquisitio reliquiarum fieret, quò nobili Dynastæ Germano gratum faceret. Aderat ibi tum reuerendus & nobilis Ioannes Fridericus à Schwalbach Fuld. ecclesiæ Decanus: cuius voluntate studioque, cum rimamur interiora, fortè in abditam arculam delatis, vestis hæc subtilissimo lini bysive textu, sponte se in conspectum dedit, cum hac inscriptione:

SVDARIVM S. BONIFACII MARTYRIS.

Religionem sindonis attestabatur partium exsectio frequens, quas animæ piæ ad instaurandum Martyris honores, & impetranda suffragia, hinc olim exportauerint.

CAPVT X.

*Congregationes & monasteria Fuldensi Ecclesia  
iuncta & adunata.*

NON facile litteris assequar, quibus olim membris & artibus hoc Fuldensis ecclesiæ corpus instructum, quàm latè pertinuerit, plurimis & temporum iniuriâ, & casibus rerum humanarum iam abolitis locis, & in aliam faciem, alterante sorte, mutatis. Faciam itaque compendio, eaquæ vel hîc recensebo potissimum monasteria, quæ auorum memoriâ tenebantur ditione Fuldensis Abbatis, & huic, tamquam capiti membra, colligata, omnium sacrarum erant & humanarum societate deuincta. Quod priusquam exequar, id animaduertere licet, copiâ quadam sanctimoniæ & rei monasticæ factum, vt non vno, maximo licet cœnobio, contenti maiores, huius quoque familiæ suæ fructum latius quacumque diffunderent, & per vicina loca propagatum irent. Et creuit opus virtutis æmulatione; quando pulchritudine exempli complures accensi, psalmodiæ diuiniq; cultus assiduitate, pellexerunt & alios, qui Dei gloriam diurnâ nocturnaquæ voce certatim hîc celebrarent. Hinc in vno neque capaci quidem horizonte cernere

S oculis

*Sudarium  
S. Bonifacii  
aut linteum  
quo Martyris  
corpus inuol-  
utum.*

*Monastica  
rei amplitu-  
do.*

oculis licuit propinquis ædi primariæ collibus ac montibus, stare florentis disciplinæ & numero hominum & studiorum piorum varietate, probè instructa quinque monasteria, quorum Præpositi & magistratus à primario cœnobio & Abbate ius & leges acciperent. Horum origines vt strictim alicubi, ita Rudulphi nouâ narratione sequenti libro illustramus; iam indicem ob oculos modò proponimus.

A viris S. Benedicti disciplinæ sectatoribus inculta.

I. *Principale*, quod vocarunt, *monasterium* Fuldenfis ecclesiæ S. Saluatori dicatum aliquot sæculis, præter ceterum cleri ac cœnobarum gregem, nobilium ordinis tum equestris, tum comitiuæ dignitatis frequentiam ac splendore conspicuum; in quo primorum instar, olim antecelluere *Præpositus maior* & *Decanus*, *Phortheren* *nus*, *Camerarius*, *Operarum magister*, *Portarius*, *Cantor*, *Cellarius*, *Custos*, *Infirmarius*, *Hospitalarius*, *Scholasticus* vel *Scholarcha*, *Testamentarius*; & qui similibus ex disciplinâ maiorum officiis muneribusque spectati.

Quod ad *Testamentarium*; penes hunc fuisse constat dispositionem piorum legatorum, seu ab exteris ea, seu à domesticis proficiscerentur: nam, tametsi testandi copiam ius monacho negauit; more tamen hîc inductum, vt in amplissimâ tantæ familiæ procuratione, qui frugi cœnobarum, aut industriâ aut parsimoniâ rem fecissent, eam, bonâ maiorum pace, testamentum ritu, huic aliive, cui libitum loco, intra congregationis tamen gremium, pios in vsus relinquerent. Hæc legata Testamentarius vniuersè moderabatur. Cui vernaculus vsus nomen *ab animarum procuratione*, dudum attribuit: ipsumque ministerium ante annos propè quingentos, memini piè *charitatem animarum* appellatum. Ceterum his tamquam eminentioribus membris accersiti cœnobarum, quibus in Capitulo suffragatio & votorum ius fuit; quorum è corpore Præpositos eligi sumique sœtutum, quæ adiacentium monasteriorum administratio credebatur. Atque his sua tamen in maiore congregatione prærogatiua, ac repetundæ stationis libertas integra mansit. At vniuersæ familiæ memoriam ex vetustis Martyrologiis repetenti, occurrebant alia personarum & dignitatum quoque discrimina.

c. 2. ext. de Testam.

C. Cum ad monasteriū. de statu monachorum.

M. S. diploma. Selgerath.

discrimina, quibus in circuitu tamquam nouellis oliuarum, congregationis huius propago mirificè fuit exornata. Primò in vestigio ferè ij, quibus titulus datur, PŔI & MŌCHI, id est, Presbyteri & monachi. Inde DIACONI, SVBDIACONI, & MŌCHI. Hinc ACOlyTI, \*SCHOLARES, & MŌCHI quorum in Scholasticis \*sacratis color hodieq. durat. Mox CONVERSI & MŌCHI. Extra ordines hos Episcopi quidam & monachi celebrantur INCLVSI, & inter moniales feminæ illustres INCLVSAE. Neq. facilè numerum inierim earum siue virginum siue matronarum, quibus A & X' symbola, id est, *Ancilla Christi*, data. Plurimorū item Antistitum & Abbatum, qui hinc prodire, nomina fastis & diariis iisdem inserta; sed nomina tātūn, & vnde ad vteriora peruestigāda nulla retrò pateat via. Atq. hæc corporis quædam totius sunt lineamenta: iam ad ipsa mēbra veniamus.

II. *Monasterium montis S. Mariæ Virginis olim Biscesberg, extra muros Fuldenſis oppidi; opus S. Bonifacij & Ratgarij Abbatis, & primâ parochiâ Buchoniæ clarum. Habuit incolas etiam Canonicos, sed hos Egbertus Abbas amouit. Vnde in huius monasterij ephemeride, in Nouembri: Memoria Egberti Abbatis Fuldenſis, & reformatoris huius monasterij.*

Annumero loci ruinis superstitēs à Rhabano versus.

In Ecclesiâ S. Mariæ in monte, qui vocatur Episcopi.

## IN DEXTRO ALTARE.

Hoc altare tenens Bonifacius ipse sacerdos  
Et Christi martyr ritè patronus adest.  
Cui quoque coniunctus sit Papa Gregorius isthic,  
Æquati & meritis regna superna tenent.  
Non minor ergo fide martyr Laurentius istis  
Hic orat, & precibus adiuvat ipse pios.

## IN SINISTRO ALTARE.

Hic pater alme virum monachorum maxime pastor,  
Tu Benedicte tuos ritè iuues precibus.  
Cui soror adiuncta Scholastica sancta virago,  
Tu tibi deuotis posce salutis opem.  
Martyr Anastasia simul tu funde, precamur,  
Pro nobis Christo semper & ipsa preces.

S 2

In

In monte qui vocatur Episcopi, in turre  
Ecclesiæ S. Mariæ.

*Annue Christe Deus, Michael Archangelus istic  
Assistat votis, nos iuuet & precibus.*

*Martinus Præsul, martyr Palmatus atque,  
Propitium nobis te faciant meritis.*

*Cassius, Anthimus, sanctus Florentius adstent,  
Memmius Antistes, hic soror Etpumia.*

*Credimus ergo satis placatum te adfore nobis,  
Si hi prece nos studeant ritè fouere suâ.*

Subsequentes an ad eandem Ecclesiam spectent, incertum est, cum principis basilicæ pars etiam Orientalis, Deiparæ consecrata sit.

Ad Fuldam. Ecclesia S. Mariæ in cryptâ  
Orientali, has Reliquias continet.

*Ex montis Sinai tabularum ac portio sacra  
Conditâ hic Domini est præsepis atque sui.*

*Hic Sixtus Papa, Magnus Ianuarius atque  
Leuite sacri martyrio & validi.*

*Hermes hic martyr, Quirinus Sulpitiusque,*

\*Eustrates,

*Romulus, perpete laude manent.*

*Theodolus martyr, Humbertus Præsul & almus,*

*Cum almo VVigberto hic orat & socio.*

*Virgo sacra hic Dignâ pariter & Emerita fulgent,  
Æquales meritis atque sacris precibus.*

III. *Monasterium montis S. Petri prope Fuldam; qui mons priscis Vgelsberge vel Hugesberg, beati Sturmi exordiis, Bangulffi progressu, & Rhabani Mauri perfectis demum operibus, vitaq. istic in otio sancto tranquillè actâ, venerandum, nec non S. Liobæ virginis patrocinio & miraculis celebre.*

IV. *Monasterium montis S. Ioannis Baptiste ad Austrum Fuldensis oppidi, Rhabani item munificentia, & præstantibus Diuorum ossibus ab eodem illatis, clarum.*

V. *Monasterium S. Andrea Apostoli Noui montis prope Fuldam fluuium, quod Richardus Abbas sæculo decimo excurrente ab se affabrè cõstructum, necessariis quoq. fundis & opibus auxit.*

VI. Mo-

VI. *Monasterium S. Michaëlis* in proximo ædi primariae colle, quod pro cœmeterij ornamento S. Sturmin inchoasse, sæpiùs iam meminimus.

VII. *Monasterium S. Solæ*, siue *Suolonis*, quod Cella vel curia Solæ, id est, Solenhofen dictum antiquitus, Eistatensis diocesis, de quo mox paulò copiosius.

VIII. *Monasterium S. Xisti in Holtz kirchen* inter Mœnum & Tuberam in Orientali Franciâ. De hoc nobilis extat traditio seu præceptum Magni Caroli, quo, auctoritate interpositâ suâ, testatur, Holtzkiricham Fuldenli monasterio ita celsisse: *Troandum Principem Regem*, quem plebeij nonnulli fratrem faciunt Gosberti Franconia Ducis, à fundamēto de rebus suæ proprietatis, in honorem beatæ & gloriose virginis Mariae, & beatissimi martyris Bonifacij, monasterium Holtzkiricham nominatum, in pago videlicet *Waltase*, super fluviū *Abstade* extruxisse, & sibi cum omni prouentu obtulisse: se verò eodem iure, quo optimo, id iam S. Bonifacio tradere.

*Troandus seu Troanus Holtzkircha conditor. Carolus Magnus.*

Apprimè monasterium id illustant nuper eruti Rhabani versus, quos cum titulis hîc suis, memoriæ causâ, subiicimus.

In Ecclesiâ S. MARIE, quæ in loco, qui vocatur Holzkiricha, est constructa, iuxta introitum eius, hi descripti sunt versus:

*Quisquis hanc aulam petiturus gressibus intrat,  
Agnoscat primùm quid locus hic habeat.  
Virginis hîc matris sacra pignora ritè locantur,  
Hanc aulam & totam ipsa dicat meritis.  
Cum quâ Sanctorum turba hîc piè nobilis adstat,  
Suscipiens vota, atque Deo referens.  
Vnde decet valde, quòd cordis pura voluntas  
Sermoque cum factis dona superna petant.*

In sepulchro SS. Martyrum qui ibi requiescunt, hi continentur versus:

*Ecce viros istos, &c. qui à Rudolpho actis Hrabani inserti sunt.*

*Lib. III. Antiquitatum Fuld.*

IN PRIMO ALTARE.

*Virgo Maria Dei genitrix, hæc aula resultat  
Ecce tibi, & tota fulget honore tuo.*

veri  
iquitate  
enses.  
IV  
3



Virginibus præsens sacra hæc decoratur & ara,  
Quâ suprâ pictas absida læta notat.

\*Præcedet

Cum quibus & sancta Præcis ouat, atque Basilla,  
Candida virgo simul atque Pudentiana.

## IN DEXTRO ALTARE.

Cætus Apostolicus hanc sacram continet aram,  
Adiuuat, & precibus ornat, amore colit.  
Vos quoque qui intrastis, ceruices flectite vestras,  
Deuoto hîc corde poscite lucis opem.

## IN SINISTRO ALTARE.

Clarus in orbe soli Martyr Bonifacius istud  
Obtinet altare cum sociis pariter.  
Quorum si lector tu noscere nomina queris,  
Inspice picturam, & relege titulos.

## AD CRUCEM.

Ecce crucis lignum, quo Christus sæcla beavit,  
Emblemate inclusum arx tenet ista Crucis.  
Baptista, & Christi spolia tenet ara sacrata,  
Doctoris Pauli reliquias pariter.  
Scriptor Euangelij Marcus cum compare Lucâ,  
Sennen atque Abdon hanc & amore colunt.  
Sanctus & Hippolytus, Prothus, martyrque Hyacinthus,  
His simul adiuncti mixta locant spolia.

## IN CRYPTA.

Martinus Præsul simul & Gregorius almus  
Hanc aram meritis ritè colunt propriis.  
Cum quibus Equirius ouat, atque Antonius Abbas,  
Sanctus Maximinus pastor & ipse pius.

## IN CAPELLA.

Culmen Apostolicum Petrus Paulusque Magister  
Hoc altare suis ritè dicant spoliis.  
Pontifices summi, Xistus, Bonifacius, atque  
Martyrio insignes hîc habitant pariter.  
Commanet hicque simul Felicissimus Agapetusque  
Leuita sacri testis vterque Dei.  
Flectite vos genua qui intrastis lumina sacra,  
Christus adest Rector, poscite lucis opem.

Huius

Huius etiam classis sunt monasteria, quæ si non huius ecclesiæ iura semper agnouerunt, annumerata tamen aliquando, & subiecta primariæ Congregationi, Fuldensi Antistiti paruifese, maiorum litteræ tradunt.

I. *Tharissa Wirceburgensis diæcesis*, Abbati iam suo parens. Tharissa seu Terres monasterium. Otto Frising. lib. 6. cap. 15. Adelbertus Bambergæ dominus.  
 Huius origo ab *Adelberto nobilissimo*, ut eum appellat Otto, *Francorum Comite & Bambergæ domino*, quem Marianus ad annum DCCCCVIII. perfidiâ Hattonis Moguntini Archiepiscopi proditum, iussu Luduici Imperatoris capite luisse, narrat. Adelberti quippe fuit ad Mœnum amnem castrum munitissimum, cui Regino & Marianus *Terrasso* nomen dant; ex quo monasterium eiusdem nominis inde conditum, *Terrassium*. Regino in anno 905. Marianus in eodem. Adelbertus Altenburgi Comes. M. S. Fuld. & Arch. Id quod ad alterum Adelbertum Comitem Altenburgi, licentiâ illius sæculi denique peruenit; qui periit eodem profus leti genere, quo prior, quare Imp. Ottonis iussu securi ferendus, *Donationis conscriptâ chartâ in loco qui dicitur Grenersdorf*, antequam capitis sententiam subiret, anno Domini DCCCCXL. *S. Bonifacio locum & monasterium, quod est in Tharisse, in littore Mæni fluij, cum omnibus eò pertinentibus, donauit.* Inseritur narratio, quemadmodum ab Adelberto, ob cæsos Luduicum & Henricum ex sorore nepotes, quia filiabus eius cum vitium obtulissent, illas ducere recusassent, hanc pœnam Otto nec immerenter exegerit.

II. *Amerbachium*, haud procul à saltu, quem Eginardus \* Al. Amorbach *inter Neccarum & Mœnum*, appellauit, non ut recentiores Eginard. in transl. SS. Petri & Marcellini. Trichem. cc mpend. Annal. lib. 1. \* Amorem, ab Ottone, sed *Odonowaldt*: id Wirceburgensis itidem diæcesis cum adiuncto oppido Trichemius ad vetustissimam originem reuocans, S. Pirminio Meldensi an Metensi proëpiscopo adscribit; qui & discipulum illic suum *Amatorem*, primum Abbatem reliquerit. Sed his fortè denatis principiis, aut sanè obscuris, Richardum Abbatem Fuldensem superstruxisse paria, & condidisse de nouo monasterium, aliàs luculentè testati sumus; de quo & illud olim in antiquis codicibus annotatum, *Comperisse Richardum, prisco iure, & fundos solique tractus cum ipso monasterio olim S. Bonifacio adscriptos*; atque eò, in huius ecclesiæ obsequio fuit.

III. *Bantum S. Dionysij* in confinibus Franciæ Orientalis fi-Bante. *tum,*

veri  
iquitate  
entes.

IV

3



tum, inter Liechtenfelsium & Staphelsteinium oppida, in excelso montis vertice. Primordia loci Bruschiana centuria non malè tribuit Alberadæ Hermanni Marchionis Vohenburgensis matronæ, foundationem anno MLXXI. signans. Sed in huius Ecclesiæ monumentis reperio, monasterij Banti disciplinam & administrationem Egberto Abbati traditam, anno MLVIII. quâ de re insignis hæc exstat in antiquis membranis narratio: Anno Dominicae Incarnationis MLVIII. Indictione XI. mense Iulio, sub die XII. Kalend. mensis eiusdem, in Orientali Francia, in comitatu Gerwini Comitis, in loco qui dicitur Othalmeshusen, factus est conuentus fidelium Principum de pace faciendâ, & sedandâ latronum tyrannide, & raptorum compescendâ seditione. Conuenere etiam ibi venerabilis Abbas Fuldenfis Ecbertus nomine, & quedam matrona Comitissa Albrat, & quamplures nobiles, Comites ac Iudices. In quo conuentu, in conspectu omnium qui aderant, eadem matrona tradidit Deo & S. Bonifacio martyri quoddam monasterium in Banze constructum, pro remedio animæ suæ, & defuncti mariti sui ac filiorum requie. Hoc tantum à prædicto Abbate præfata matrona expetiit, ut in eodem monasterio secundum regulam S. Benedicti monachos institueret, ceteraque regula congruentia adaptaret. Tradidit ergo, sicut dictum est, venerabilis matrona eundem locum suæ ditionis S. Bonifacio cum omnibus compertimentis, & adiacentibus bonis, & prædiis, mancipiis, & cum omni genere vtilitatis, IIII. scilicet territoria in Banzgo we. V. in Saltzungen, & VII. in regione Hessonum. Hanc traditionem suscepit Gerardus Aduocatus Fuldenfis monasterij, coram multis testibus.

Brettinges.  
Lambert. in  
Chron.

IV. Brettingense in Thuringiâ Hassiæ iuxta Visurgim ex Bredingâ, nobili & regiis expeditionibus clarâ possessione, nisi fallor, Hersfeldensis Ecclesiæ, Wideradi occasu, nec aliâ memoriâ priuatim certè consignatum, excidisse videtur.

Breitenauia.

V. Breitenauia similiter in Hassiâ Moguntinæ dicecesis, interitu quàm origine progressuque clarior. Originem Tritheimius aperit in Hirsaugiensi Chronico, ad annum MCXVII. primumque Abbatem Drutrinum datum ab Hirsaugiâ, Comiti Wernero fundatori, cum eiusdem familiæ sodalibus XII. anno MCXIX.

Schluchters.  
Schluchters.  
rense.

VI. Schluchtersense seu Solitariense, quod ei nomen dedisse video

deo recentiores, cum oppido proximè à Fuldensium confinio in Hanouensium Comitum ditone situm, diœcesis Wirceburgensis, à veteri religione iam desertum, ludoq. puerili mutatum: nam Fuldensis quidem ecclesiæ imperium iam dudum exuerat. Lego apud Trithemium, *Synodo Seligenstadiensi, præsi-*  
*de Aribone, anno Domini MXXIII. interfuisse Sirichonem Abbatem*  
*de Schluchterâ.* Monstro & simiarum ingeniis perfimile; hîc noui Euangelij præcones, in superstite asceterij templo, inter mitratos & togatos Antistites, etiam suos sibi sepulchralibus monumentis asseruisse Abbatum titulos. De quibus posteritas iudicabit, in classe Valerianâ, rectène hominibus nouis iis adscribantur, *qui per mendacium se in alienas familias inseruerunt.* Inflatius etiam pro loci obscuritate antiquitatem hîc ignotam vsurpare mihi videntur, qui, vt Petri Lorichij incunabula attollant, Solitariis oppido ad Drusi montem sito natum perhibent, cum Schluchterensi potiùs Laurâ, quæ ad Thrasebergij montis iacet radices, ortum dicere oportuit, poëtam meliorem quàm cultorem religionis auitæ.

Hirfaug.  
Chron.Valer. Max.  
l. 9 c. 15.Jac. Aug.  
Thu. histor.  
lib. 16. ad cal.  
c. an. 1560.  
Thraseberg  
in Buchoniâ.

VII. *Suinfurtense* in oppido cognomine monasterium eiusdem fuit conditionis; sed vacillante disciplinâ, femirutum, perhibent ordini celsisse Teutonico anno Domini MCLXXXIII.

VIII. *Brustlohense* in *Thuringiâ*; iam Collegialis Ecclesia: locus, cuius solo S. Bonifacius olim institit; quem suis etiam vestigiis consecrauit.

Munst. in  
Cosmogra-  
phiâ.

A Virginibus eiusdem ordinis olim habitata.

I. *Cænobium sanctimonialium in Blanckenaw*, auorum & nostrâ memoriâ, flammâ belloque laceratum. abest Fuldâ x. millibus propè passuum ad occasum: nullaque prisca instituti vestigia retinet; templo dumtaxat ad sanctæ & indiuiduæ Trinitatis honorem instaurato, quod à Curione iam administratur; exstructisq. nouis, à nupero Decano, nunc autem Fuldensium Antistite Ioanne Friderico, vsui Præpositorum, domiciliis. Originem loci altiùs temerè accersas, quàm à Berthoi II. ætate; quem, excisâ Blanckewaldiâ arce, sedem hanc virginibus condidisse perhibent. cetera in obscuro latent.

II. *Cænobium sanctimonialium S. Lamberti* in Tolbâ, quinque circiter passuum millibus Hamelburgo oppido.

T

III. Cæ-

veri  
iquitate  
enses.  
IV  
3

III. *Cænobium sanctimonialium in Höchst*, in dominatu Breubergensi.

IV. *Cænobium sanctimonialium in Allendorf*, tractu Saltzungenfi, iuxta Werram amnem: nam in eâdem ripâ Saltzungen à Salinis dicta villa, donum Hlotharij Cæsaris Rhabano obuenit, anno Imperij eius XXII. nunc oppidi specie tenetur à Ducibus Saxonix pignus, cum satrapiâ Fischbergensi.

V. *Cænobium sanctimonialium in Rborâ*, olim in Hennebergensium Comitum, iam in Electoris Saxonici ditioe.

\*Zellinga  
VI. *Cænobium sanctimonialium in \* Zellingen* apud Mœnum, propè à Retzbachio pago, quod dudum intercidit. Liquet ex Rudulpho, exortum inter primordia Fuldensis Ecclesiæ.

VII. *Cænobium sanctimonialium in Cellis*, quæ Fuldâ distant octodecim ferè millibus passuum ad ortum Solstitialem iuxta collimitium Orientalis Franciæ & tractus Hennebergij. Earum originem S. Bonifacij patrocini illustrem ad Raitgarium Abbatem facile reuoces, cui sua templum exordia debere, docet inscriptio, quam infra dabimus, Dedicationis.

VIII. *Cænobium sanctimonialium Bischofshemensis* parthenonis, cui S. Lieba præfuit; iam vestigiis dumtaxat notatum oppidi Bischofshemij ad Tuberam amnem, diœcesis Magontinæ.

IX. *Cænobium sanctimonialium Martischstadium*, in ditioe Franconicâ.

Primum, secundum, & septimum in Fuldensis Ecclesiæ potestate ac solo manent; pleraque media quampridem alienata, vel deleta sunt.

Atque haud scio an sodalitiis hîsce Partheniis, rectè annumerem Heimbachianam Ecclesiam, tribus circiter passuum millibus hinc, iam vicino rure parochiam. Litaniâ S. Marci hodie, olim & nudipedalibus maioris ecclesiæ meminimus frequentatam. Vestigia monasterij in Curionis æde, ambituque proximo manifesta tenentur. Sanctimoniales insedis, & D. Andreæ Noui montis imperio subiectas, res maiorum sermonibus est quàm litteris mihi testatior. Legebam istic in veteri membranâ: *Anno Domini MCCII. dedicatum est altare S. ERMOLAI & sociorum Ecclesiæ in Heimbach locatum sub turri. At templi structura longè maiorem præ se fert ætatem.*